

Peter Stephan Johannes Schultze


Disputatio Iuridica De Patria Potestate

Gryphiswaldiae: Jeger, 1649

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn805623949>


Druck Freier  Zugang





N. K. — 2 (48.)





DISPUTATIO JURIDICA

De

Patria Potestate

Quam

Per gratiam summæ omnium
Potestarum Potestatis,

NOBILISSIMÆ ET AMPLISSIMÆ
FACULTATIS JURIDICÆ CONSENSU
ET SVFFRAGIO
IN INCLUTO ATHENÆO GRYPHICO

PRÆSIDE

VIRO CONSULTISSIMO, CLARISSIMO
MO ET EXCELLENTISSIMO

DN. PETRO STEPHANI JUD.

CELEBERRIMO, Juris Professore Ordinario,


& p. t. Facultat. Juridicæ Spectabili Decano,

Fautore ac Præceptore suo devenerando.

Ad publicum examen producet

JOHANNES Schulze Gustrov. Megapolitan. Author & Respondens.

In Acroaterio Majori die 22. Septembr.



GRYPHISWALDIÆ

E Typographæo JACOBI JEGERI Acad. Typogr.

Anno M. DC. XLIX.

DEO
PATRIÆ

UT ET
VIRIS

EXPERIENTISSIMO, EXCELLEN-
TISSIMO, DOCTISSIMO

DN. PAULO Bergen / M. U. D.

Eximio, Illustris. ac Celsissimi Principis Megapoli-
tanæ Archiatro fidelissimo, & apud Gustrovienses Physico
meritissimo, Patri suo æternum, & obseranter
deuenerando,

AMPLISSIMO ET PRUDEN-
TISSIMO

DN. MARTEN Bergen / in Incluta

Stralsfundensium Republica Senatori vigilantis-
simo, Patruo suo ætatem colendo.

NEC NON

SPECTATISSIMIS, INTEGERRIMIS,
MULTOQUE RERUM USU PRÆ-
STANTISSIMIS

DN. SAMUELI Bergkholzen /

Aurifabro Gustrovi: Experientissimo,

DN. JOACHIMO Blueten / Mer-

catori ibidem industrio,


Adgnatis atque Tutoribus suis suspiciendis.

Hasce studii sui legalis primulas, in æternum Devotionis, Amoris, Filialis
Obsequii, Observantiæ, Agnationis & Pupillaris gratitudinis, Debi-
tum, Signum, Testimonium, Documentum & Aram,

D. D. D.

JOHANNES Schulke Gustr. Megap.
Autor & Respond.

D. O. M. B. V.

UM omnis quæ à rectâ ratione suscipitur de aliqua re Institutio, debeat à definitione proficisci, ut intelligatur quid sit, de quo disputetur. Cicero l. 1. Off. Idcirco acturus de utili, antiqua, necessaria & frequenti patriæ potestatis materia, in frontispicio definitionem ejus, veluti compendiosam, totius ædificii tabellam, ob oculos ponam.

THESIS I.

Definitur autem per potestatem, quam pater habet in liberos, nempe privatam & domesticam in Politia Romanâ receptam. Sucholt. disp. 2. th. 3. 4. & 5.

II.

Cum autem haud infrequens sit Jctis nostris, dum aliquid sibi pertractandum constituent, quedam de Origine præfari Exemplo Jcti Caji in l. 1. ff. de Orig. Jur. & Pomponii in l. 2. ff. eod. tit. forte quod hac ratione facilius comparatur via, & quasi aditus præparetur ad altiora rei ipsius adita, methodicè penetrandi; Ideo & ego resoluturus pro talento meo qualicunque presentem materiam, de Patria Potestate, è re esse duxi, priusquam ad ulteriora progrediar, paucis investigare originem P. P.

III.

Et res non usque adeò clara est. Sitne Patria Potestas Juris Civilis, an verò juris Gentium? Prius sanè dicendum videbatur, maximè cum id disertè scribat Cæjus l. 3. ff. qui sui ut alieni jur. Sunt. & Imperator in §. 2. Institut. de P. P. excludens alios homines ab ejus potestatis participatione, dum inquit: Nulli alii sunt homines, qui talem in liberos potestatem habent, qualem nos habemus. Sed in contrarium non pauca sunt quæ faciunt, ut dicendum videatur, patriam potestatem esse juris Gentium.

IV.

Imò ut verum fatear P. P. est à Jure Gentium. Ratio hujus rei solidissima est: Familia s. Societas œconomica est ex Jure Gentium. Familia caput ex ejusdem Juris gentium ratione, est maritus. Familia rursus (ut docet Arist. l. i. Polit.) plena & integra consistit in tribus societatibus simplicioribus: Inter maritum & uxorem, dominum & servum, patrem & filium. Idem maritus est Dominus famulorum, & Pater liberorum. Idem rursus sed diverso imperii genere, imperat uxori, famulis, liberis. Itaque haec tres potestatis species, omnes sunt ex Jure Gentium.

V.

Sed sc. vix quidquam manet in sua pura essentia, qualem ex Jure Gentium habet: Sed apud diversas gentes variatur: Diversae gentes, alia humanius, alia durius, uxores, servos, liberos, suos tractaverunt. Sed potestas ipsa essentia sua juris gentium est & manet, licet accidentia & qualitates in diversis Rebus publ. variant.

VI.

Omnino itaque cum iis facio, qui Justiniano in §. i. Instit. de P. P. hoc emplastrum, seu rectius cataplasma seu medicamentum adhaerunt; quod qualitate Patria Potestas sit juris civilis: Ceteroquin ipsam potestatem ex jure civili esse, nec jurato Justiniano credam: Et miseret me eorum, qui cum Hunnio & aliis illius farina & surfuris interpretibus, magno Spiritu P. Potestatem juris civilis esse contendunt, adeo quidem ut nec admittant illos, sed superbe despiciant, qui qualitatem & formam tantum juri Civili adscribunt, quorum acerbum & immaturissimum iudicium merito miror & demiror.

VII.

Ait Pomponius l. 2. ff. de Justit. & Jure ut parentibus pareamus esse juris Gentium, hoc enim supplendum est ex fine l. praecedent. in §. Jus Gentium. Facit Auctoritas Platonis lib. 3.

lib. 3. & 4. delegibus, qui etiam de Patria Potestate leges fert. Facit Aristotelis testimonium qui nunc Regiam, nunc Tyrannicam esse scribit patriam potestatem. Græcos quoque liberos in potestate habuisse, ex Platone, Dionysio Halicarnassæo, Demosthene, aliisque & Oratoribus & Historicis Græcis constat. De Veteribus quoque Gallia populis testatur Julius Cæsar lib. 6. belli Galli: apud eos patriam potestatem fuisse in usu. Constat autem neque Gallos, neque Græcos Jus Civile Romanorum agnovisse. In eadem quoque sententia est Plinius in Panegyrico ad Trajan. Ubi, vis, inquit, lexque natura semper in ditioe parentum esse liberos jus sit.

VIII.

Rectissime itaque sentiunt, qui patriam potestatem esse Juris Gentium docent, & qui potestatem patriam essentia & forma sua esse juris Gentium neget, belleborosus fuerit; quamvis si intelligas potestatem patriam conformatam à Jure Romano, jam illa qualitates tantum sunt juris Romani.

IX.

Nec opus est ut cum Bacchovio dicamus, decisionem hujus questionis non ex jure Civili, sed ex rationibus Ethicis & politicis esse petendam, item omnia argumenta, quæ in hanc rem petuntur ex jure civili, inepta esse: quippe quæ nihil juderint, si alicui cum Philosopho res sit, qui hujusmodi rationes etiam sibi acciperet.

X.

Quamvis enim Bacchovii sententia per se vera, cum certum sit nullum Imperatorem aut Jctum auctoritate sua evertere posse rationes Politicas aut Ethicas, aut omnino alterius disciplina, nulla tamen causa est ut hoc refugio utar. Quia Imperator Justinianus à me non dissentit, sed hoc saltem videtur sensisse in S. 2. Inst. de P. P. quod etiamsi apud alias quoque gentes fuerit Potestas parentum in liberos, quod negari non potest, tamen eam

potestatem non fuisse talem, qualem Romani cives habuerunt, id quod & ego dico.

XI.

Etenim qualitas adjecta non facit, ut rectè quid dicatur juris civilis Formâ & Origine; Alias enim servitutum, bellorum, successionum, Testamentorum, stipulationum jura, & sexcenta talia, juri civili accepta referenda erunt. Et qui aliter sentiunt non intellexisse videntur l. 6. ff. de Justit. & Jure. ubi jus civile dicitur, nec originis nec formæ essentialis intuitu, sed usus: Scilicet jus Gentium abstractum quoddam est, ex quo omnes populi hauriunt, & rebus publicis suis applicant, ut nihilominus considerata forma generali & essentiali, unumquodque juris gentium maneat, nisi omnia ad jus civile referre, nihil juri gentium relinquere velis. Quà in re non paucos amplitudo Imperii Romani fascinavit.

XII.

Objiciunt nonnulli, se disputare de P. P. quatenus Juris Romani est. Verum annon hoc est ineptam facere questionem? Ecquis enim dubitavit, eo consensu Patriam Potestatem, quatenus est conformata à Jure Civili ejusdem juris esse.

XIII.

Alii fatentur, fuisse quidem Patriam potestatem ante Jus Romanum, sed illam informem fuisse ajunt. At quam tu mihi informitatem P. P. narras? Omni forma privatam qui dixerit, Sanus non fuerit, neque informis illa fuit essentiali forma, sed tantum accidentali, quæ adjecta, non facit quo minus Juris gentium debeat perhiberi.

XIV.

Alia quaestio est an Patria Potestas à Jure Romano conformata, de qua hic acturus sum, per legem aliquam scriptam, an verò moribus introducta sit? Dionys. Halicar. l. 2. Antiquit. Roman. scribit, à Romulo, hanc legem latam esse, qui inde ab initio

initio urbis condita summam patribus in filios potestatem compe-
tere voluerit, adeo, ut etiam pater occidere filium, & ter ve-
nundare potuerit, eamq; legem Romuli, deinde postea in XII.
Tabul. à Decemviris fuisse relata.

XV.

Sed obstare videtur auctoritas Ulpiani qui in l. 8. ff. de his
qui sui vel alien. scribit. Jus potestatis moribus esse receptum.
Si moribus, ergo Jure non scripto. §. sine scripto. Instit. de J.
N. G. & C. Verum hæc minimè inter se pugnant. Neque
enim negat propterea Ulpianus, Patria potestatis originem esse à
legibus: etiamsi dicat moribus esse receptam. Sunt enim &
alia, quæ constat usu ex legibus, Sctis, vel Constitutionibus, & ta-
men alibi dicuntur esse ex moribus, ut substitutio pupillaris, l. I.
ff. de vulg. & pupill. ut donationis conjugalis prohibitio l. I.
ff. de donat. inter vir. & uxor. idq; ideo, quia nihil leges si-
ne moribus vanæ proficiunt. Et legibus sancita, nisi etiam mori-
bus recipiantur & usurpentur, censentur tacito consensu populi, per
desuetudinem abrogata. l. 32. ff. de legibus. Notumq; est
mores seu consuetudinem alias esse absq;ve lege, alias cum lege
concurrere.

XVI.

Patria potestas vocatur etiam patria, sive paterna Majestas,
Livius lib. 4. Valer. Max. l. 7. c. 7. Quintil. declamat.
376. & seq. Ratio appellationis est quia parentes liberis suis
sunt DEI loco, cui primario competit, Majestatis nomen, unde &
parentum sorores & fratres, qui sunt patru vel avunculi, vel a-
mita vel matertera & ceteri i. e. divini appellantur à Grecis Nov.
18. ubi notanda est sane aurea observatio Simplicii, in Commen-
tario ad Enchiridion Epicteti, ubi dicit; ipsos quidem parentes
nobis loco Deorum esse, in eorum persona abstinere nos à DEI
appellatione, idq; veneratione divini Numinis, sed tamen, ut de
hac ipsa præstantia & honore Divinitatis, quem in parentibus
agnosce-

agnoscere debemus ac venerari, admoneamur in ipsorum fratribus
ac sororibus, idcirco ipsos appellari *§ 124.*

XVII.

Eadem patria Potestas dicitur quoque nexus paternus. l. 6.
§. 3. C. de Bon. Pater. Item vinculum patrie potestatis l. 4.
C. de pact. convent. & simpliciter vinculum potestatis, l. 17.
C. de donat. ut & familiae vinculum. l. 87. ff. de acquirend.
vel amitt. hæredit.

XVIII.

*Liberi etiam qui sunt in potestate patris, in Jure nostro et-
jam in sacris parentum constituti dicuntur* l. ult. C. de Inoff.
Testam. l. ult. C. de Curat. Furios. l. ult. C. ad SCrum
Tertullian. & dicuntur positi in sacris l. 20. C. de Nupt. &
esse in sacris l. 2. C. de bon. quæ liber. tum etiam retineri in
sacris dicuntur l. 3. C. de bon. mater. & manere in sacris,
quæ privata sacra cum parentibus ipsis liberis communia erant.
Ideo Cicero 2. de ll. Ubi pater, ait, filiusq; eadem sacra colunt,
omnesq; ad quos patrisfam. pecunia pervenerit, ejus sacra ritè
perfectèq; peragunt. & Erronea Conani, at Forcatuli opinio est,
qui existimant, ideò liberos dici in sacris esse paternis, quod ipsis
persona patris sancta & sacra esse debeat.

XIX.

*Ad hæc liberi potestati parentum subjecti appellantur quoque
filii familias, item filie famil. si fœmina sint; sicut illi qui sue po-
testatis sunt, dicuntur patres familias & matres familias sive pu-
beres sint sive Impuberes.* l. 4. ff. de his qui sui vel al. jur.
sive liberos habeant sive non habeant liberos l. 159. § familiae.
ff. de V. S. & liberi qui in parentum sunt potestate alieno juri
subjecti dicuntur; qui verò in patria potestate positi non sunt, sui
juris esse dicuntur. §. 1. Inst. de his qui sui vel al. jur. & l.
1. ff. cod.

est

XX.

Est autem patria potestas mihi, ea, quæ patri de jure Romano in liberos suos legitimos competit, siue primi sint siue ulterioris gradus Instit. de P. P. in princ. & §. ult. in liberos quippe non legitimos, non competit patria potestas §. si adversus ea Inst. de Nupt. Et ita imperfectè definiunt, qui patriam potestatem dicunt esse jus, quod pater habet in liberos. Quin etiam loco generis haud commodè ponitur jus, cum Synonyma sint, potestas ac jus, in hac scilicet juris significatione.

XXI.

Idem autem competit hæc potestas etiam in liberos ulterioris gradus, (ut sunt nepotes & neptes, pronepotes & proneptes, & ceteri deinceps) quod cum filius in potestate sit, ipse suos liberos in potestate habere non possit, cum qui suæ potestatis non est, alium in sua potestate habere nequeat. l. 21. ff. ad L. Jul. de adult. Et si autem uterque & filius, inquam & nepos sunt in potestate avi: tamen in eo differunt, quod dum vivit filius, nepos non est avi suus hæres, sed filius, Instit. de hæred. qualitat. Sed si filius potestate exierit vivo patre: Nepos in ejus locum succedit h. e. fit avi suus hæres l. 7. ff. de his qui sunt sui vel alien. jur. mortuo autem avo, nepos in potestatem filii, h. e. patris sui recidit. l. 5. de his qui sunt sui vel alien. jur.

XXII.

Sed quod de nepotibus & pronepotibus, & ceteris liberis dicitur, eos esse in potestate avi, proavi, cæterorumq; majorum, id de paterno avo & c. intelligi debet, non etiam de materno avo & c. Inst. de P. P. in fin. Liberi enim non matris, sed patris familiam sequuntur. l. 96. §. 1. ff. de V. S. & mater sua familia caput & finis est. l. 195. §. fin. ff. d. t.

XXIII.

Competit autem P. P. jus Romanorum iis, qui habent jus Civitatis Romana. Civium verò appllatione excludimus peregrinos

B

grinos

grinos. His enim non competit P. P. à Jure Romano conformata. Huc pertinet Epistola Plinii 6. qua petit à Trajano, sui Medici Posthumii Marini Propinquo, Chryssippo ejusq. liberis dari jus civitatis, ita ut sint liberi in patris potestate-

XXIV.

Deinde Maribus tantum non Fæminis illa de qua agimus P. P. competit, & hoc est quod dixi thes. 22. Patrem & Avum paternum & ceteros ascendentes habere liberos in sua potestate, contra non habere matrem, non avum maternum, & ceteros per fæminam ascendentes. Nec enim in potestate sua liberos mater habet. §. fœminæ. Inst. de Adoption. & §. cæteri. Instit. de hæred. qualit. & different. l. 13. ff. de suis & legit. ut hinc dicatur potestas hac rectè patria, non etiam materna potestas.

XXV.

Cur autem Jura hanc potestatem matri in liberos denegant, hanc fingunt nonnulli causam, quod fæmina sub maritorum ipsamet olim essent potestate, & propter sexus sui infirmitatem & rerum forensium ignorantiam, in perpetua antiquitus tutela fuerint. Ulpian. in Instit. tit. II.

XXVI.

Verum neutram hujus rei causam esse, vel ex eo evincitur, quod licet utrumque illud Jus tempore quoque Justiniani Imp. antiquatum fuerat, nihilominus tamen in matrum potestate liberos esse nova quoque Jura negaverint.

XXVII.

Ego itaque rationem esse hanc puto, quia mas est perfectior fæminâ, & majorem habet auctoritatem & prudentiam, consiliiq. copiam: qua in hac potestate patriâ omnino requiritur: in fæminâ verò propter sexus fragilitatem inesse non potest vel certè rarò inest.

Nec

XXVIII.

Nec tamen idcirco minor pietas ac reverentia matribus à liberis debetur. Nam uti thes. 7. diximus, Juris Gentium est, ut parentibus pareamus. Vulgus Interpretum facit duplicem Potestatem Patriam: Unam Naturalem: Alteram Civilem. Naturalem dicunt esse Patri & Matri communem, non Civilem, sed malè.

XXIX.

Non enim Potestas rectè dicitur pietas & reverentia, quæ æqua parentibus debetur, etsi inæqualis eorum potestas sit teste Ulpiano in l. 4. ff. de Curat. fur. & Paulo l. 6. ff. de in Jus vocand. & Pomponio l. 2. ff. de Just. & Jur.

XXX.

Eadem equidem reverentia & pietas matribus debetur quæ patribus. Ideò in l. 4. C. de patr. potestat. Præses provincie jubetur etiam cogere filios ad exhibendam matri debitam reverentiam. Sed aliud est pietas, aliud potestas. d. l. 4. ff. de curat. fur.

XXXI.

Sunt qui verba Ulpiani Jurisconsulti in dictal. 4. C. de Curat. fur. ita volunt intelligere, quasi aliquam saltem potestatem tribueret Ulpianus etiam matri in liberos, licet non tantam, quantam habet pater.

XXXII.

At longissimè hi aberrant à mente Jcti, qui hoc potius vult, aliis locis convenienter, Matri & Avo materno nullam prorsus competere in liberos potestatem.

XXXIII.

Est enim Potestas patria ejusmodi res, quæ impatiens sit consortis, sive individua, & non nisi in solidum competat.

XXXIV.

Quod vel ex eo liquet, quod si simul vivant avus, filius & nepos,

nepos, patria potestas non communicatur inter filium (eundemq;
patrem) & avum, sed soli avo competit, tam in filium, quam in
nepotem, nisi horum alterutrum emancipaverit.

XXXV.

Habet autem hanc Potestatem Pater in liberos suos, etiam si
furiosus sit, l. 8. ff. de his qui sunt sui vel alien. jur. Nam
quæ sunt Juris, ea etiam ignorantibus acquiruntur & conservan-
tur, nec furor superveniens ullum Jus tollit aut abrogat.

XXXVI.

Deinde non tantum Parentes Naturales, sed etiam Adopti-
vi eandem potestatem habent. l. 5. in fin. ff. de his qui sui.
Imo etiam Parentes, qui per legitimationem liberos in potestatem
suam redegerunt. §. ult. Instit. de Nupt.

XXXVII.

Causa Potestatis Patria tres sunt, 1. Procreatio ex justis S. le-
gitimis nuptiis, 2. Adoptio, 3. Legitimatio.

XXXVIII.

Nuptias præcedunt & preparant Sponsalia l. 9. ff. de Spons.
dicta à spondendo l. 2. ff. cod. & interdum accipiuntur pro ar-
rbis, Symbolis seu muneribus quæ Sponsus largitur Sponsæ, l. 1. C.
si nupt. ex rescript. aliquando pro donatione propter nuptias,
l. 2. C. de secund. Nupt. denique pro dividio Sponsaliorum.
Cicer. l. 2. Epist. ad ej. Fratr.

XXXIX.

Sunt autem ut definiuntur Sponsalia mentio & repromissio
futurarum nuptiarum. l. 1. ff. de Spons.

XL.

Sponsalia autem ritè peracta nec dissoluta transeunt in ipsas
Nuptias, quæ sunt Viri ac Mulieris conjunctio, individuam vitæ
consuetudinem continens §. 1. Inst. de P. P. vel ut l. 1. ff. de
R. N. definiuntur, sunt conjunctio maris & femina, & consor-
tium omnis vitæ; divini & humani juris communicatio.

Dicun-

XL I.

Dicuntur à nubendo c. nec illud 30. q. 5. quæ & conjugium l. 12. 21. C. de N. l. 6. C. de Incest. Nupt. & sæpe matrimonium §. 1. Inst. de P. P. l. 22. §. 2. solut. matrim. quia mater semper certa est pater non item, l. 83. ff. de cond. & demon. vel quia uxor cum spe materni nominis obtinendi nubat.

XL II.

Requisita ad justas nuptias contrahendas sunt: Primo ut sint Cives Romani. Notandum autem est D. Antoninum omnes in Romano orbe existentes, juris Romani participes fecisse; siquidem olim ante D. Antonini Constitutionem promulgatam, magni fuit momenti, in tantum, ut qui jura civitatis non haberet, nec filios in potestate haberet. Mynsing. ad Inst. §. 2. de P. P. n. 2.

XL III.

Secundo requiritur justa ætas, ut masculi sint puberes, femina autem viripotentes l. 5. ff. de V. S. Pubertatem hanc Juri in masculis 14. in foeminis 12. annis designant. §. 1. Inst. quibus modis tutela finitur. Macrob. l. 7. c. 7.

XL IV.

Tertio ut adsit consensus parentum; nam hoc fieri debere & naturalis & civilis ratio svadet. Nota rationem civilem & naturalem, sic non occurrere æqualiter; Illa est à summa potestate, à Romulo patribus tradita, quæ non tantum svadet parentis consensum adhiberi, sed insuper disponit ut non adhibito consensu, nuptiæ nulle sint. §. 12. Inst. h. t. Ratio autem naturalis, sicut & divina tantum svadet, ut tam patris quam matris consensus accedat. Et si contra fuerit factum, illud damnat factum, sed actum matrimonii non annullat.

XL V.

Quartum justarum nuptiarum requisitum est, ut ratione

necessitudinis, & publice honestatis inter se jungi prohibeantur. Necessitudo illa est vel Consanguinitas, vel Affinitas. Consanguinitas est vel in linea recta vel obliqua. In linea recta inter parentes & liberos, nuptia in infinitum prohibentur l. 53. ff. h. t. quod & ad adoptivos extenditur, in tantum, ut dissoluta adoptione idem juris maneat. §. 1. Inst. de N. l. 55. prin. ff. cod. In linea obliqua ac collateralis nuptie prohibite sunt inter fratres & sorores, l. 17. C. de N. & inter cognatos qui sibi invicem parentum liberorumve loco sunt. l. 39. §. 1. l. 56. ff. cod. Inter ceteros v. g. Consobrinos & ulteriores concessa. §. 4. l. de N. l. 3. ff. l. 19. C. eod.

XLVI.

Jure Canonico prohibite sunt nuptie ad quartum gradum inclusive c. pen. & ult. Extr. de Consang. & Aff. Moribus tamen provinciarum reformatarum passim in tertio & quarto gradu linea inaequalis permittuntur. Schulk Synopf. Inst. de Nupt. lit. e.

XLVII.

Affinitatis ratione itidem inter illas personas, quae sibi parentum liberorumque loco sunt, conjugii est prohibitio §. 6. 7. Inst. de Nup. ubi & exempla. Quae causa est cur vitricus privigni sui viduam, aut maritus uxoris defunctae novercam ducere non possit. l. 15. ff. de R. N. arg. l. 197. ff. de R. J. Cateri quoque affines, transversi ordinis, si quidem sunt in secundo linea aequalis gradu, civilis computationis, nuptiis jungi vetantur. l. 3. ult. & pen. C. de incest. N. ultiores vero qui sunt, non prohibentur. Ita enim duo fratres cum duabus sororibus, pater & filius, cum matre & filia, mariti filius ex alia uxore, & uxoris filia ex alio marito jungi possunt. §. 8. Inst. de N. l. 36. §. pen. ff. de R. N.

XLVIII.

Jure Canonico, quo gradu Cognationis, quis distat ab uxore mea, eo gradu affinitatis à me distat; inter affines aequè ac inter cognatos

cognatos à latere nuptia ad quartum usque gradum, in primo tamen genere affinitatis saltem, inclusive prohibentur. c. 8. Extra de Conf. & Aff. Denique notandum, quod super gradibus divino jure prohibitis, nulla admittenda sit dispensatio. Schneid. ad T. de N.

XLIX.

Publica quoque honestatis causa à quarundam nuptiis abstinendum est. arg. l. 42. ff. de R. N. l. 144. & l. 197. ff. de R. J. Inæqualitas autem personarum, cujus ratione olim nuptia quædam erant illicitæ, l. 44. ff. de R. N. item potestas, l. 38. l. 57. ff. eod. vel tutela vel cura. l. 36. & seq. 159. seq. ff. eod. sicut & cognatio spiritualis, l. 26. C. de N. nuptiis apud nos nullatenus sunt impedimento. Rittersh. I. differ. c. 15.

L.

Dirimuntur autem matrimonia, vel natura ut morte naturali, vel lege ut divortio, cujus causæ de jure divino duæ sunt, Adulterium & malitiosa desertio personæ infidelis. vide Vult. J. R. c. 21. sub finem.

LI.

Hactenus de primo patria potestatis modo. Secundus est legitimatio, quæ est legis actio, per quam liberi naturales (ex concubinis nati hodiè Spurii) fiunt legitimi seu justii liberi. Vult. in J. R. p. 131. c. 23. Sutholt. disp. 2. th. 62.

LII.

Dicuntur autem fieri legitimi, quoad effectum, & fictionem juris, in quantum damna, quæ filius illegitimus incurrit, subtrahuntur per legis auctoritatem.

LIII.

Legitimationis modi sunt tres: Primus à Theodosio inventus, l. 3. C. de N. L. à Leone confirmatus, l. 4. C. eod. à Justiniano explicatus. Novell. 89. c. 2. 17. Nunc verò exoletus est Oblatio curiæ, ubi filius naturalis volens à patre curiæ principis offertur,

offertur, ordini curialium vel decurionum aggregandus, ut munera municipiorum vel civitatum, pro illius temporis consuetudine sustineat non quidem quod presumatur per oblationem à principe legitimatus, ut vulgò credunt; Sed quia visum est principibus, hoc legitimationis beneficio plures, licet illegitimos allucere, ut munera civitatum multiplicia & gravissima cum decurionibus subirent, libenter id facturi, si legitimorum jura simul consequerentur. Heig. Inst. §. aliquando. h. t. n. 3.

LIV.

Secundus à Constantino M. inventus, l. 5. C. de N. L. à Zenone revocatus, l. ead. C. eod. & à Justiniano perfectus, l. 14. C. eod. est subsequens matrimonium, hic tamen non aliter sequitur legitimatio, quam adhibitis pactis dotalibus quæ vocantur nuptiales tabule l. 9. C. h. t. & quamvis tabule non faciunt matrimonium, l. 131. ff. de Don. sunt tamen quidam speciales casus quibus necessariò quoque debent intervenire instrumenta, non quasi de essentia matrimonii sint, sed quia istis casibus matrimonium non aliter potest probari, quam per Instrumenta. Novell. 89. c. 8. N. 12. c. 4. N. 117. c. 4.

LV.

Ad hunc modum autem imprimis necessarium est, ut liberi sint concepti ex concubitu non prohibito, nam alioqui per hunc modum legitimari non possunt, ut si tutor ex pupilla, patruus ex fratris filia, liberos susceperit, quia inter hos matrimonium esse non potest, perspicuum est, liberos quoque hoc modo legitimari non posse.

LVI.

Effectus hujus legitimationis est, ut hoc matrimonio & ante nati, & postea ex eo procreati, sint legitimi, adeo quidem, ut prius nati omnino iusti & legitimi, sive postea nati sint alii sive non.

LVII.

Tertius modus à Justiniano introductus in subsidium, si concubina in uxorem duci nequeat, neque extent liberi legitimi, est per

per rescriptum principis, Novel. 89. c. 9. & 74. c. 2. quo summa majestatis tribuit jus legitimorum filiorum, vel immediatè & per se, vel mediavè per eos, qui Comites Palatini vocantur.

LVIII.

Inter hos omnes enumeratos modos optimus & efficacissimus est matrimonium, nam alter modus per principem, hodieq; usitatus, non tam est efficax & plenus, quia liberos patri tantum facit legitimos, quod ad reliquam cognationem attinet, non item Novel. 89. neque aliter permittitur, nisi alios nullos habeat pater.

LIX.

Tertius P. P. constituendi modus est adoptio, legis actio seu actus legitimus, l. 1. ff. de off. jurid. Alex. l. 3. ff. de off. Procons. l. 4. ff. de Adopt. l. 3. C. eod. qua quis alteri filius efficitur, tanquam ex ipso natus. Genus est legis actio, l. 4. ff. h. t. l. 1. C. eod. reliquis verbis differt ab aliis legis actionibus. l. 2. ff. h. t. Differt quoque adoptio à matrimonio, quia adoptio est legis actio, matrimonium non item; quod autem dicitur tanquam ex ipso natus, est ex veteri formula adoptionis. l. 5. C. h. t. Agellius l. 5. c. 19.

LX.

Originem hujus modi non à Romanis tantum, sed antiquioribus Judæis, Ægyptiis & Græcis petere convenit, quos ea interdum salubriter usos esse, ut sterilitate conjugii, vel liberorum & familiarum mortalitati consuleretur, satis constat.

LXI.

Hujus modi species sunt; Arrogatio & Adoptio in specie sic dicta, Arrogatio per principem fit & est adoptio hominis qui sui juris est. §. 1. Inst. h. t. l. 1. ff. eod. Fiebat olim Lege Curiata apud populum, hodie Lege Regia apud Imperatorem ipsum, vel magistratum ex Imperatoris auctoritate & Indulgentia. l. 2. ff. eod.

LXII.

Arrogatio tribuit jus familiae, l. 32. ff. de R. N. adeoq; ple-

C

beus

beus à nobili arrogatus efficitur nobilis, præterea habet ex constitutione D. Pii quartam bonorum partem arrogantis, si ab eo exheredetur vel sine justa causa emancipetur.

LXIII.

Dicitur Arrogatio l. 2. §. 1. ff. hic. Arrogaturus enim in publicis judiciis sive comitiis interrogatus, contestabatur sicut & arrogandus, se caput liberum in potestatem accipere, & tradere. Requiritur autem principis auctoritas in hac specie, quia secundum considerationem juris veteris, potestas in liberos admodum fuit rigida, & instar servitutis, quare non permissum fuit homini sui juris, sine gravissimis rationibus sese ita quasi in servitutem dare, cujus considerationem primo populus, & postmodo principes ad se pertinere voluerunt.

LXIV.

Secunda est Adoptio in specie, quæ si ab extraneo facta sit, non attribuit jus familiae, adeoque manet, adoptatus in potestate patris naturalis, neque adoptivus pater eum testamento aut instituire, aut exheredare cogitur. leg. pen. C. de Adopt.

LXV.

Verbum Extranea, pro subjecta materia hic significat omnem, qui non est in linea recta ascendenti. Unde hodie Objectum Adoptionis in specie dictæ, tantum constituunt qui sunt in linea recta descendenti, tam nati à filio, quam filia; ex hac nati simpliciter ab avo materno, at ex illo nati ita primum adoptantur, ab avo paterno si antequam conciperentur, vel nascerentur liberi, filius fuerit emancipatus, ratio est quia avus paternus alias nepotem habet, non avus maternus.

LXVI.

Arrogationis forma hodie hæc est, ut precibus principi oblatis, exponat causam cur Titium sibi arrogandum permitti petat, l. 3. C. h. t. Adoptionis autem vetera solemnia primus sustulit Imperator Justin. l. ult. C. h. t. Ea quæ fuerint exponit Agellius l. 5. c. 19. & indicat Imperator d. l. ult. C. h. t. Ado-

LXVII.

Adoptionis in specie sic dicta forma hodie hæc est, ut adeat quis magistratum competentem (qui habet legis actionem) & ejus auctoritate Titium præsentem, ipse præsens in filium se adoptare declarat. d. l. ult. C. h. t.

LXVIII.

Patria potestate constituta videndum, quid in ea ea juris sit tum quoad personas, tum quoad res: Persona Patris & liberorum consideranda est. Patri olim hoc jus datum est, ut imperaret liberis sicut Rex subditi, Arist. l. 8. Ethic. c. 10. & 11. ut haberet vitæ ac necis jus l. 11. ff. de lib. & posth. Halicarn. antiq. Rom. l. 2. Cæsar. in Bell. Gall. si scilicet ad id expediendum justa causa non deesset l. 20. ff. ad l. Jul. de Adult. paulatim tamen hoc jus successu temporis patribus ademptum est, per consuetudinem optimo jure introductam.

LXIX.

Castigatio tamen & coercitio libera patri permessa est, ut quicquid hic privatim statuerit, pater, adversum filium dum in sevitiam intorabilem non abeat, sit extra omnem noxiam l. 3. C. de P. P. nemo enim melius & moderatius de pœna filio irroganda statuet, quam pater: Ideoq; moderata castigatio patri permessa etiamnum hodie Vult. in J. R. p. 98. n. 21. & ut tempore necessitatis filium possit vendere, sine tamen libertatis præjudicio. l. 2. C. de Patr. qui fili. suos dist. l. un. C. de Emend. prop. Grotius de Pace & Bello l. 2. c. 5. n. 5.

LXX.

Quod si autem citra officium malè fuerit tractatus, pater filium cogitur emancipare, quam enim sevitiam in Dominis non ferunt ill. eam multo minus ferunt in parentibus: Itaque ut illic cogitur dominus servum vendere, l. 2. ff. de his qui sui. sic hæc casu pater filium emancipare. leg. ult. ff. si a parent. qui manu.

LXXI.

Filius verò patri castiganti ne utiquam resistere debet, quod si contra fecerit, vel verberibus patrem mulctarit, severissime in eum animadvertendum est. Capitale enim erat ex lege Servia, bis verbis: SI PARENTEM PUER VERBERIT: AST. OLLE PLORASSIT, PUER DIVIS SACER ESTO: Et filius etiam ob id exheredari potest, Novel. 115. c. 3. Schneid. hic in Inst. n. 27. adducit Constitutionem Alberti Imperat. post Weichsbild ita conceptam: Welcher Sohn seinen Vater an seinem Leib freventlicher weise angreiffet / oder ihn verwundet / vnd fähret / derselbe soll ehelos vnd rechetlos seyn ewiglich / vnd zu seinen Ehren oder Rechten nimmermehr kommen mögen.

LXXII.

Patri & hoc competit jus, quod in jus vocari non potest à filio sine venia pretoris. l. 4. §. I. de jur. vocand. l. 3. C. cod. Quod si fecerit filius poenam sustinet 50. aureorum l. 24. ff. cod. Unde vi hujus potestatis, lis nulla agitari potest inter patrem & filium fam. l. 4. de Judiciis. nisi de bonis castrensibus & quasi castrensibus d. l. 4. in quibus hoc singulare est, ut filius fam. habeatur pro patref. l. 2. ff. ad SC. Mac. l. 4. §. I. de Castr. pec.

LXXIII.

Atqui hactenus de persona patris; Filii sequuntur patris familiam l. 19. de stat. hom. Vult. in J. R. c. 17. n. 32. & participes sunt omnis dignitatis & honoris, qui familiae annexus est. l. II. C. de Dig. Filia verò tamdiu bis gaudent, quamdiu manent in familia l. 195. de V. S. siquidem in alienam familiam assumpta, mariti conditionem sequuntur. l. 19. de Jurisd.

LXXIV.

Tantum de jure quoad personas p. p. nunc paucis de isto jure quoad res, dispiciendum. Illud est in rebus à filio fam. acquisitis omnibus, non tantum corporalibus, sed & incorporalibus, ut sunt dominia, obligationes, possessiones, quia omnia à filio fam. acquisita

sta non sunt ipsius, sed patris in cuius potestate est. Vul. J. R. c. 17. n. 40. §. 1. Inst. per quas person. acquir. exceptis peculii castrensibus & quasi castrensibus omni jure l. 6. C. de bonis quæ lib. adventitiis quoad proprietatem solam jure novo l. 1. & 2. C. de bon. mater. certis tamen casibus exceptis. vid. l. 7. & tres auth. l. 6. C. de bon. quæ lib. N. 117. c. 1.

LXXV.

Cum autem non sufficiat scire modo causas quibus P. P. constituitur, sed plurimum quoque intersit causas quibus iterum destruitur habere sibi cognitæ, proinde ad ultimū progrediar membrum & tres imprimis causas esse puto quibus dissolvi potest Mortem parentis, Capitis diminutionem, Dignitatem filii.

LXXVI.

Mors quid sit ex Physicis lectori petendum relinquam, ejus tamen naturam & causam eleganter Cicero & Aristoteles depinxerunt. Morte solvitur P. P. quia secundum effatum Poeta:

Mors omnia solvit.

Deinde Patria P. provenit à natura ergo naturaliter quoque debet denuò dissolvi per l. 35. ff. de R. J. Denique est Jus personale extincta ergo persona extinguuntur accidentia. l. 166. ff. de R. Jur. Accidentia quippe absque subjecto esse non possunt, quare sublato subjecto adæquato proprio, tolluntur illius subjecti propria.

LXXVII.

Alter modus seu causa est status seu capitis diminutio, quam pro triplicitate status triplicem admitto prin. Inst. de cap. dimin. l. 11. ff. eod. Maximam quæ circa libertatem, Mediam quæ circa civitatem, Minimam quæ circa familiam versatur.

LXXVIII.

Tertius modus est dignitas filii solvitur autem dignitatibus, ut Episcopali Novel. 81. Auth. sed hodie. C. de Episc. & Cler. Consulari l. fin. C. de Consul. Patriciatus Nov. 81. in præf. §. 4. Inst. h. t. Patricios autem non intelligo illos qui à

Romulo in senatum allekti sunt publici consilii causa, sed Imperatoris Consiliarios, ita n. vocantur à Nicephoro l. 13. hist. Eccles. c. 1. & 4. Qualis autem fuerit dignitas non satis apparet; Ex Zosimo probari solet, dignitatem patriciatus singularem fuisse, & ab Imperatoribus Constantinopolitanis primum introductam. Justinianus autem postea hunc modum valde ampliavit ita ut quaecumque dignitas à curia seu munere decurionatus liberat, liberet etiam à potestate patria. Novel. 81. c. 1. auth. Quae autem à curia liberent. vid. l. ult. C. de decurion. Novel. 70.

LXXIX.

Ultimo tam expressa, quam tacita emancipatione, quae refertur ad tertiam Capitis diminutionem. §. 5. Instit. quibus mod. Fiebat autem hac adhibitis quinque testibus, & libripende. Pater naturalis mancipabat filium, i. e. adicebat patri fiduciario, i. e. Emptori filii, qui aliquot nummos pretii loco patri naturali dabat, deinde pater fiduciarius i. e. Emptor haec verba referebat: Hunc ego hominem ex Jure Quiritum, meum esse ajo; ac mihi emptus est hoc aere, aeneaq; libra. Tunc aere percutiens libram, i. e. es dabat venditori pretii loco, & hoc ter repetebatur, si filius Emancipatus est, nam in filia & nepote & reliquis personis una Emancipatio & una manumissio sufficiebat. vid. Rofin. antiq. Rom. l. 9. c. 10. §. 7. l. D.

LXXX.

Non autem tollitur militia §. 4. l. h. t. non advocazione l. 14. C. de advoc. divers. Judicior. non exheredatione, patres enim possunt exheredatis personis substituere pupillariter, non denique captivitate patris aut filii in bello, §. 5. l. h. t. cum illud P. P. jus magis in suspenso esse videatur, quam extinctum. Schneidw. ad d. §. 5.

LXXXI.

Hodie per consuetudinem eo ventum est ut solvatur si quis ab Imperatore bannitur: Berlich concl. pr. 11. n. 6. part. 2. & tandem

tandem matrimonio, quamvis autem filius familias contrahens
matrimonium, de veteri jure maneat in P. P. §. pen. I. quot
modis solvat p. p. attamen generali omnium ferè locorum con-
suetudine, huic juri derogatum esse testatur Vult. ad §. 2. n. 3.
Inst. de P. P. & Dn. D. Mævius Tit. 3. ad Jus Lub. Unde
est quod illi qui moribus Germaniæ nuptias contrahunt, frepen-
dicantur, quod scilicet per nuptias, à nexu sive vinculo
Patriæ Potestatis liberentur.

T A N T U M
SOLI DEO SEMPITERNO
GLORIA.

*Est aliquid prodire Tenus si non datur Ultra
Ibant quo poterant, quo non poterant ibi sta-
bant.*



COROLLARIA.

I.

An per paupertatem nobilitas amittatur? & R. quod non, unde vulga-
res versiculi:

*Si nobilis ille putari
Debet, quicumque est dives; sic nobilis esse,
Credo potest lanuus, tonsor, piscator, equiso,
Pastorq; & pistor, Coriarius atque bubulcus,
Et latro & leno, & quivis de gente lutoſa.*

II.

An Princeps Christianus, si ab alio Christiano iniquè bello prematur,
cum Turca vel alio infideli fœdus inire possit? Negat. Arumæ.
ad A. B. ducurs. Acad. 6. c. 15. th. 7.


III.

An hodie Romanum Imperium sit Monarchicum vel Aristocrati-
cum? Posterius cum limitatione affirm. Hæropol. à Lapid. part. 1.
cap. 2, n. 8. §. 4.

Parado-

Paradoxon.


Gallus *Caji* niger, continuò in domo *Sempronii* cum alba Gallina *Mærii* versatur, quæ ibidem in domo *Sempronii* ova peperit, hæc ova alia Gallina [nigra *Tirii* fovit, & incubando exclusit pullos: Quær. cujus sint pulli? Resp. *Caji* cujus Gallus est.



Differis egregiè quæ Patria *Jane* potestas
Schultzziade, Prætor nomine req; clues.
Prætor enim quod ait, vim legis id obtinet, & tu
Legalis patrio nomine, deinde tuo.
Doctor enim Legum Clarus *Pater*, omnia novit.
Quæ *Labeo* quæ tum *Papinianus* habet.
Gustroviæq; *Ducum* qui *Consilarius* aulæ
Te similem *Gnatum* jusserat esse *Patriis*.
Et meritò, quia tu Patri cognominis, & re,
Profer ut aulai sis decus ipse *Ducum*.
Sub *Stephano* claro Juris *Doctore* perito,
Spem modò quæ de te prodis amice bonam.
Perge velut pergis prætorialia Jura docere
Diflere, sic verò nomine Prætor eris.

Amicæ benevolentia ergò

JACOBUS GERSCHOVIUS J. U. D. P. C.





QVI nummis inbiant, thesaurosq; ære per amplos
querunt, his multum laudis inesse putant.
Verum falluntur, vanos tentantq; labores,
frustrà trahunt noctes, sollicitosq; dies.]
Tentasse ingenii vires sed maxima laudis
portio, per nullos quæ moritura dies.
Macte tuis cœptis, sic pergito, fortitèr insta,
portio sic laudis magna parata tibi.


In gratiam Dn. Resp. f.

HENRICUS Walher.













Gallus C
Mav
hac
pull



Paradoxon.

tinuò in domo *Sempronii* cum alba Gallina
uæ ibidem in domo *Sempronii* ova peperit,
lina [nigra *Titii* fovit, & incubando exclusit
ajus sint pulli? Resp. *Caji* cuius Gallus est.



egregiè quæ Patria *Jane* potestas
ultziade, Prætor nomine req; clues.
quod ait, vim legis id obtinet, & tu
patrio nomine, deinde tuo.

Legum Clarus *Pater*, omnia novit.
beo quæ tum *Papinianus* habet.

Ducum qui *Conflarius* aula
lem *Gnatum* jusserat esse *Patris*.


uia tu Patri cognominis, & re,
ut aulai sis decus ipse *Ducum*.

o claro Juris *Doctore* perito,
nodò quæ de te prodis amice bonam,

pergis prætoria Jura docere
sic verò nomine Prætor eris.

Amicæ benevolentia ergò

JACOBUS GERSCHOVIUS J. U. D. P. C.



nis inbiant, thesaurosq; ære per amplos
erunt, bis multum laudis inesse putant.

ur, vanos tentantq; labores,
rabunt noctes, sollicitosq; dies.]

ii vires sed maxima laudus
er nullos quæ moritura dies.

ptis, sic pergito, fortitèr insta,
ic laudis magna parata tibi.

In gratiam Dn. Resp. f.

HENRICUS Valter.

